Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 109
Quelle:
Copyright:

rum media tota miniata Textum *Cantici Canticorum* luculentum exhibet, *glossa interlineari* distinctum, laterales vero *glossa Walafridi Strabi* dicta *ordinaria* occupantur. Praefatio ad hanc quidem *Glossam* pertinet, sed ejus membra aliter disposita sunt, quam in Edit. *Bibliorum Glossator.* v. g. *Lugdunensi* 1545. T. III. *fol.* 354. Incipit enim: *Nôtandum quod semper sponsa in domo uel in lectulo* &c. quae in Impressis circa finem leguntur. A *fol.* 29. p. 2. subjuncta est brevis alia Expositio, quae tamen a C. I. v. 7. tantum usque ad C. II. v. 3. porrigitur. Succedunt Concertationes quaedam theologicae captiosae acuendi ingenii gratia, Dubia proposita, Fabella de Ligno Crucis, Fragmenta Martyrologii &c. omnia levis momenti. Juxta *Fol.* 1. p. 2. Codiculum hunc Facultati Artium dedit a. 1457. e Testamento D. *Johannis* M. *Nicolaus de Hittendorff*, quorum neutrum novi.

LXXIII.

Codex membraneus lat. Sec. U. 7 partim XIII. partim XIV. Folior. 159. f. continet I. pereleganter scriptam *Isaiae Prophetiam* et rubricis distinctam, lineis inter se distantibus, quo *glossa* recipi possit minutius exarata. Praeeunt vero Loca collecta *Hieronymi*, in quibus *Isaiae* fit mentio. Praeter jam dictam *Glossam interlinearem Anselmi Laudun.* utrinque magno nitore in marginibus adstituta est *ordinaria*, quae vulgo *Walafrido Strabo* tribuitur, ut adeo Exemplar istud *Biblia* nostra *glossata* typis edita referat.

II. *fol.* 122. sequitur manu Sec. XIV. per duas columnas exaratum charactere luculento *Psalterium*, in quo id peculiare, quod passim inter *Psalmos* Notae musicae insertae sint, iisque Textus quidam subpositus. Ita post *Ps.* VI. cantare jubemur:

Hic fidei meritis uocitatur iure beatus
Legem qui domini meditatur nocte dieque.

Beatus uir. Seruite domino in timore et exultate ei cum tremore. Et post *Ps.* X.

Juste deus iudex fortis patiensque benignus
In te sperantes muni miserando fideles.

Domine deus meus. Domine deus meus in te speraui. Et sic deinceps post *Ps.* XIV. XV. XVI. &c. *Psalterio* subjuncta sunt reliqua *Cantica Biblica* cum Hymno *Ambrosii*, Symbolo dicto *Athanasii*, et Litaniis OO. SS. quos inter cum invocetur *Colomannus*, Codicem in *Austria* scriptum fuisse vix dubium est, cumque bis pro *Magistro*